Actulae scenicae

Kielcensis schola

Kielcensis Athenaei Eloquentiae Auditorum: Hecatombe centenis celebratum victimis.

1747.

Poet.

N. 439

HECATOMBE

Centenîs celebratum victimîs,
Mille dedicatîs olim abſolutum cultibûs;
Nunc iterum
Jn Aviti Stemmatis Ara.
CELSISSIMI EXCELLENTISSIMI
ac REVERENDISSIMI DOMINI

D. ANDREÆ STANISLAI KOSTKA

Comitis in Załuskie

ZAŁUSKI

DEI & Apostolicæ Sedis Gratiâ Episcopi Cracoviensis, Ducis Severiæ.

RENOVATUM
ac
Jn Theatrali Menſa Athenæi Kielcenſis
à Sacrificantibûs Magno Nomini, Solutæ Eloqventiæ
Auditoribûs

JNSTITUTUM.

Annô
Qvô Agnus Cælestis ſe obtulit ad victimam.
1747. Menſe Aprili.

Jn Avitum JLLUSTRISSIMÆ Domûs Jnsigne.



Lechia, ne longè Colchos pro vellere tentes,
Nec de Purpureo murice quære Thetym!
Agnus pro lana, celſus pro murice Sangvis,
Stat ſibi, ſicq̃; Domi, Purpura digna rubet.

Ad Celsissimum Excellentissimum & Reverendissimum Mecænatem.

P*Aradoxum est quod evenit, dum inquilina latebrarum crimina, in lucem prodire contendunt. PRINCEPS CELSISSIME, PRÆSUL JLLUSTRISSIME, MECÆNAS & Protector noster Gratiosissime. Quid enim (teste rerum animo) magis commune vitiis? quàm velle latere. Odit lucem frons pessima, nè ad Cæli oculum suam cogatur legere malitiam. Hinc non dispar illi naturæ dos, ac, quæ vilioribus terræ partibus data; ubi has jam humi serpere, iam intra telluris viscera, veluti quodam carcere claudi, ignobilis fecit conditio. Plus quàm ad solem in Principe volucrum id spectare libeat; hanc quia nobilissima sors nascendi, ante fidem solis, judiciumq; poli producit, ideo*

 spectacu-

ſpectaculo cælis aquilas videmus; & roſis, quas illuſtres veſtiunt Purpuræ, Liliis, quòd argenteô candeant byſsô, non caliginoſa plaga locus, niſi aut præſtantiſsimus Hymettus, aut Cælo contermina Semiramidis vireta. Jam quidquid aridorum ſtolonum imitatur naturam, aut in deformes urticas vel lolia degenerat, aut mortalium fugit palpebras, & veluti in probrum orbi creverit, intra agreſtia ſe ſe condit ſepta. Jdem crimini, criminumq; pediſsequis à natura cenſebamus proviſum, ni oppoſitum Celtogalatiæ Principis Filius edoceret; non veretur hic publicum prodire in Theatrum, etſi mens conſcia ſui, latere optaret. Quinimo, non contentus, in Theatrali ſcena cunctis exponi, plura audet, dum non attento frontis pudore, TUIS CELSISSIME ac EXCELLENTISSIME PRINCEPS ſe confert oculis; atq; ultrò ſivè victor ſivè victus evadat, nititur ante Tribunal Tuum, tanquàm portum & aſylum periclitantium, comparere. Cancellarii Majeſtatem, atq; adeò ſummam poteſtatem Fori, etiam hodie pertinaci in Te colit reverentia; fortiter perſvaſus, Titulos non Titulorum Officia ſæpè omitti, præcipuè cum juratus ſemel in Crucem ANDREÆ amor, exigat à TE, ut nunquam ſuſtinere afflictorum deſinas causas. Proinde non mireris PRINCEPS CELSISSIME, ſi reus TE appellat Florimundus, gaudet à ſtatera pendere TUA, cui parum abeſt ut iam triumphet, cum Jllum ſciat eſse ſibi Præſidem, qui pro congenita JLLUSTRISSIMO Junoszæ virtute, ſe gerit manſvetiſsimum. Ad hæc, ubi iam Superum non reclamante Senatu, ſalutem in pedibus MARIÆ adeptus; minimè deſperat, quin Tuis in pedibus aures, favoremq; reperiat ſententiæ. Benè ſiquidem conſtat, ZALUSCIOS *cum cælitibus convenire ſemper, ut quidquid ſuperis ratum, vel ingratum ſit, pariter & Jllis; quorum jam Religio in DEUM, iam fides erga Majeſtatem, iam integritas in Patriam, pridem transtulit aureo ſculpenda Nomina Cælo: vt meritò quotquot hac de Stirpe viros ſuſpicimus, omnium Nomina videmus adoranda ut Numina, cunctos Sacra in terris Apotheoſi, cernimus attollendos. Non recenſemus hic Magnorum elenchum Nominum, non excitamus quieſcentes Aboriginum Manes, nè aut minus pacifici, capitis arguamur, aut laudibus impares, quia elingves Eloquentiæ Auditores, ſilere cogamur, non loqui: ut potè, Jl-*

lorum

lorum Genesim explicare, quorum ortum magis mirari, quàm nosse expedit. Cui etenim non in comperto est Domûs Vestræ fundamenta, Patriæ angularem esse lapidem? tantam à vetustate contraxisse iam gloriam, quantum Annîs, summîs Polonia gloriatur Statoribûs. Hinc à fæderato vobis nexu, cum JLLUSTRISSIMIS in conspectu orbis Prosapiis, OLSZEWSCIORUM, KARNKOWSCIORUM, PRAZMOWSCIORUM, DUNINORUM, PODKANSCIORUM, OSSOLINIORUM, LANCKORONSCIORUM, FREDRONUM, KONIECPOLIORUM, CHLEBOWSCIORUM, RADZIWILIORUM, LESZCZYNIORUM, GRANOWSCIORUM, CZAPSCIORUM, MORSZTYNORUM, WISNIOWIECCIORUM, SZANIAWSCIORUM, JABŁONOWSCIORUM, KORYCINSCIORUM, DZIAŁYNSCIORUM, KROSNOWSCIORUM, RADZIEJOWSCIORUM, OBORSCIORUM, LIPSCIORUM, KUCZBORSCIORUM, KAZANOWSCIORUM, PSTROKONSCIORUM, DENHOFFORUM, CIECISZEWSCIORUM, DABSCIORUM, MOKRZANOWSCIORUM, STRZAŁKOWSCIORUM, *cæterorũq;, præter assentationis periculum fatetur quilibet, nullam in orbe Polono fore Purpuram, quæ Vestri Sangvinis non lambat Erythram; nec est tàm clarum Nomen, quod satis fulgoris habeat, citra* JLLUSTRISSIMAS ZAŁUSCIORUM *Ceras. Jactet Roma Decios, veterosq; Camillos fortunæ suæ Atlantes, non vilior sors Poloniæ, à* ZAŁUSCIORUM Domo *æstimatur; sivè Consos in consiliis, sivè Romulos in bellis, sivè Numas in religione, sivè Catones in sententia, necessitas Patriæ aliquando requirebat. Celsa Consangvinitatis Arbor hîs fructibûs pullulat, & quidquid parturit, ad gustum est. Placeat è millibus unum (singulos enim revocare, sensus nos deficeret) memorare JLLUSTRISSIMUM ac EXCELLENTISSIMUM* ALEXANDRUM JOSEPHUM *Comitem in Załuskie* ZAŁUSKI, *Palatinum Ravensem, Tuum Antistes Reverendissime Genitorem lectissimum; Hic certè, Magîs Ajacibûs Ajax ortus, non immeritò Macedonis sibi Nomen vendicavit, nisi simul & gloriam: dum magnum Rebus publicis momentum, in Generali Varsaviæ Convocatione, Annô Salutis 1648. acriter pro immunitate Ecclesiæ stan-*

B *do con-*

do conferret. Jucundum illi fuerat, fatiscentis Regni curis, Atlantem supponere lacertum, ludus erat, ultrò obviare periculis, cum tempestas Patriam inundâsset. Hinc alii Bellonâ progenitum, alii ad fortunam publicam natum credebant, utrumq; Jlle verís probavit argumentîs. Non preterire hic licet, ut Sangvinis ita virtutum gradu venientem, CELSISSIMUM ANDREAM CHRYSOSTOMUM ZAŁUSKI S. R. J. *Principem, primò Kijoviensem & Czerniechoviensem, dein Plocensem Episcopum, tandem Varmiensem & Sambiensem Ducem, & PRÆSULEM EXCELLENTISSIMUM, Supremum Regni Cancellarium; non sine fatorum arbitrio, dies Jlli communis cum CHRYSOSTOMO fuit, qui Eum ut in lucem, ita & Purpuram effudit. Jlli certè, ortus CHRYSOSTOMO dies, Tiaræ Sanctioris omen auspicatus, & aureæ non jam rorem, sed torrentem in lingvam venæ. Et erat, in quæ aurea hæc Lingua detonaret; pro una Eudoxia, mille, temporum malignitates, objecêre fata; semper tamen CHRYSOSTOMI Virtute superavit, semper plausus excivit, adeò, ut exemplum posteris relinqueret, quod magnis Jngeniis ubicunq; statio est, ibi Theatrum & plausus. Hæc posthuma est* ZAŁUSCIORUM *fama, & quidquid hactenus Nostra svada elocuta est, virtus causa est, quæ inter Sarcophagi silentia vocalis, & post occasum illustris, æternaturum Gloriæ accendit meridiem. Nunc itaq; ad splendentia præsenti ævo Sydera, vultum convertere placet Tullio. Et prima fronte, primum veluti Cæli mobile, quia nulli post TE MECÆNAS JLLUSTRISSIME, honoris jubare secundum, provocat in se palpebram JLLUSTRISSIMUS ac REVERENDISSIMUS DOMINUS* MARTINUS ZAŁUSKI *Episcopus Dresdensis, Suffraganeus Plocensis, Regni Secretarius, qui propter rectefactorum magnitudinem, & pectoris capacissimi immensitatem, bino orbe divisus, utrumq; famâ implet & meritîs; dum scilicet ita Regni tractat pennam, ut Dresdensi velox non desit Jnfulæ: quasi non satis esset, suo patrio probari sole, nisi etiam inter exotica Sydera contingat eminere. Eruditioni credo præsenti Sæculo: testudinem esse propriîs se circumscribere laribûs, domumq; suam Secum portare; Aquilarum verò, toto orbe*

cæloq;

cæloq; verſari. Non ut exigui fontes, intra domeſticos contenti torpeſcunt alveos, ſed magnorum fluminum Nomina, Patris Oceani ſequntur naturam, dum in immenſum exundant orbem. Mitto cæteras JLLUSTRISSIMI PRÆSULIS dotes, quas tenuiori ſvadæ enarrare non ſufficit. Hæ ſatis ſuperq; enitent, in JLLUSTRISSIMO ac REVERENDISSIMO DOMINO JOSEPHO ZAŁUSKI S. T. & J. U. D. *Supremo Regni Referendario, Abbate Fontaneti, Aſſeſsore ſtatuum Burgundiæ Conſiliario, Prælato Honoris Parlamenti Nancejani, Præpoſito Varſavienſi, Canonico Cracovienſi, in quo virtutes an dignitatem, eruditionem an animi Majeſtatem, expendendum ſit? difficile eſt cogitare, ne dicam exprimere. His enim abundat, quæ non unius ſed omnium ſcriptorum manus, Hiſtoricorum calamos, Panegyres vatum adimplerent. Si innocentiam in illo deſideras? candida* JOSEPHI *ſerta, virum declarant Juſtum. Si magnanimitatem pectoris? ex rectefactis metire; ſi demum ſcientias requiras? antiqua eſt ſeverioris muſæ gloria, vivæ Sapientiæ Jmago, lux ingens, & fama Scientiarum vocaliſſima, circumfert paſſim [in quo minimè laborat encomiorum veritas) JLLUSTRISSIMUM REFERENDARIUM Aquinatici Solis radios in perſpecto habere, Cælum Theologicum mente verſare, quorum alterum, ingeniorum Aqvilam Jllum declarat, probat alterum Jntelligentiam. Non memoro hic cæterarum ſcientiarum eminentiam, an enim latet quenquam, quod in vertice Jllius, quævis Eruditio triumphos agit, laureas explicant exoticæ lingvæ, Regni verò Statuta immenſum Capitolium habent, Jllius Caput. Sed arduum eſt, ut per gloriam, ita per ſingula DOMUS VESTRÆ ire Nomina; ſæculorum non unius diei labor eſt, pro condigno* ZAŁUSCIANÆ *Stirpis perorare. Facundè dixit, quisquis oraculi inſtar protulit: quod colit Vos orbis ut Aborigines Maximos, quia non aliam è Lucinæ ſinu nacti eſtis lucem, quàm primam, non alios ſplendores, quàm Phæbi æmulos. Viderat tales Roma in Numa, Sicilia in Agathocle, Perſia in Xerxe, Macedonia in ALEXANDRO, cum DOMUS VESTRA, ac ſi Regia ſolis eſſet, omnem ab atriis eliminaret obſcuritatem, adeò, ut nihil non*

 ſplen-

ſplendidum, nihil non dexterum, nihil non ſcientificum ſit, quidquid intra domeſticos ZALUSCIORUM *Penates Lucina protulerit. Hactenus per Digreſſionis Figuram in aliorum, deſudatum eſt eligiis: Nunc ad Tuos CELSISSIME ac REVERENDISSIME MECÆNAS cultus, ſolicita ſe reflectit ſvada. Sed, Dii boni! quot quantaq; occurrunt prædicanda! ita, ut in primo paſſu errare ſibi cogitet Tullius Noſter, ubi immenſum laudum Tuarum aggreditur iter. Sanè illud nobis expedit, quod olim Stilliconius Vates (difficiles increpando modos) ad Chelym prælußt: Non mihi centenis reſonent ſi vocibus ora, multifiduſq; ruat centum per pectora Phæbus, acta Probi narrare queam. Talem equidem Te ſuperi terris conceſsêre, qualem Cæli de jure inviderent, qualem Patria diu ſibi vovebat, & per retroactas annorum centurias, Religio ab aſtris precabatur. Laborant ſæcula ut magnos pariant; Tu verò PRINCEPS CELSISSIME, cum à virtute & meritis ſis maximus, non mireris quòd in provecta orbis ætate, è Lucinæ gremio in lucem prodiiſti. Quare non aberrabimus, ſi majoribûs Tuîs majorem Te dixerimus, quia compendioſa es omnium Hiſtoria, viva concentratæ Jllorum gloriæ Jlias, memorabilium ab Jllis geſtorum perfecta Mappa. Unde qui Te proclamat, non tacet Aborigines, meminit Prædeceſsorum gloriæ, quando memor eſt Tui. Ad ſolatium ingeniorum id cenſemus, quod quicunq; concatenatæ Proſapiæ ſeriem, dictioni innodare cupit, Tibi uni expedit eſſe alligatum, Te pro cunctis loqui; quoniam & eloquio es fluidiſſimus, & Titulis altiſſimus, & præter virtutum flores, alter à Præſuleo murice Roſinus, à candore in Patriam, plus quàm Eques liliatus, immortalis famæ lituo ab omnibus promulgandus. Volupè eſt, etiamnum hodie Cancellarii Majeſtatem Honoris, in pagina depingere. Jn hoc Officii culmine demonſtraſti orbi, quod ut unumquemq; Sua diſtingvunt Nomina, ſic decora diſcernunt. Dum ſcilicet ad exornandum Sigilli decus, mille virtutum eruditionumq; flores collegeras, ut ſemper cultè reſponderes, quoties à Majeſtate roſas loqui non verba contigerit. Stupuit Civilem in TE Svadam Curia, quòd dum alii res loqvuntur, tu aurum ab ore fundere viſus; vel minima*

eſſa-

effata TUÂ Statisticæ fuêre maximæ, quando ad illius styli adamussim voces effingebas, quo amor Patriæ utitur & libertas Polonorum. Trahebas ergo in TUÆ filo Svadæ etiam ferrea pectora, Ipse magnes Cordium, Sarmatiæ os & æs vocalissimum, semper Patriæ secundam sonans horam. Ponderosa quævis fuit dictio, nullius tamen gravis auribus, licet quandoq; Catilinarias cum Tullio, Philippicas funderes cum Græciæ Oratore, Cyneas redivivus. Optabilis quies Tibi erat pro Republica desudare, elogiorum verò optimum censebas, benè mereri de omnibus, nec Titulos venari, sed publicæ fortunæ aucupio immorari. Fecisti id supra spem & vota, quoties Regni negotia negabant Tibi otia, incurrebant res magni momenti, appendebas illas in statera Cancellariæ Themidis, nec ipse inventus es minus meritorum habens, quàm Hermus obryzi, Ganges unionum, Hydaspes arenæ. In hac quoq; lance ipse repositus adeò valuisti Vir ponderosi meriti, ut in summum pretium, æstimationem maximam, apud Augustissimum AUGUSTUM III. Poloniarum Regem venires. Præclarum hoc est, & laudum Tuarum non ultima, quod Magnatibus placueris, Officiiq; gloriâ comprobaveris. Interim dum operæ Tuæ pretiô nunquàm satis æstimandô utitur Majestas, suam conchylium gemmam, Te nempe STANISLAUM tanquam proprium sibi Craciæ rupes in sua vocârunt ornamenta. Cujus urbis quod eòusq; distuleris ingressum, auscultare est, quanta ultra Carpati juga, per fines totius Diecæsis errat echo: Exorere! exorere! cur gaudia differs! Præstolari nihilominus Te cogitur, eò, quod ab aggregatis undiq; plausibus, & eorum quos linquis affectibûs onustus festinare non possis. Ita es amori omnibus, expectationi cunctis, nulli non solatio. Et hoc est, quòd victimarum ritu solenne pariter est omnibus, in aviti Ara AGNI, Tuo se immolare Honori, dum per ora & oras ubiq; canitur, quod ILLUSTRISSIMUS JUNOSZA dignus est ubiq; accipere honorem, & gloriam. Idem quoq; nobis Te colendi studium, ac pertinaci obsequio, obsequentissimâ reverentiâ Hecatomben Magno Nomini veluti in terris Numini, in Aviti Stemmatis Ara instrùendi. Hecatomben apparamus, nam corda [quod est

juge

juge sacrificium] purô, ab adulationis fuco, ardentiâ amore in perennaturum TIBI Præsulum Devotissime sacrificamus cultum. Et quia in Theatrali Mensa instruimus, ut palam sit, non tantum Florimundum in ædibus Agni invenientem asylum, verùm nos omnes SZANIAVIANI Arietis sobolem TUO JUNOSZÆ usq; ad aras, esse obæratos. Permitte igitur PRINCEPS CLEMENTISSIME (quia ab Aris arcetur nemo) pro Corollario laudum hoc votivum appendere Anathema: talem à Majoribus ad summa Honorum culmina capacissimum JUNOSZÆ moveas gressum, ut oriunda inde immensitate gloriæ terrarum orbem, orbis Majestatem, Majestate impleas universum. Singuli & omnes apprecantur.

Jllustrissimæ Celsitudini
Vestræ.

Devotissimi Solutæ Eloquentiæ
Auditores in Athenæo Kielcensi.

HISTORIA

SAlutis suæ in tuto firmavit stationem, cum ad pedes MARIÆ, Filius Principis in Celtogalatia; (nobis Florimundus) qui in regia vivit, primùm ad Leges DEI & Matris Ejus Instituta, dein Libero inserviens Patri, liberiori indulget vitæ. Quam ob rem proscriptus aulâ, prædonum se jungit consortio; horum ut Primipilus captus carceri mancipatur. Desperabundo inibi Stygis Genius promptum pollicetur auxilium, si Christo renuntiet? paret nefandus! Virginem tamen Deiparam execrari renuit. Pati jam debitas debuerat pænas: en, ubi ductus ad supplicium subintrat Sacellum, Effigies Virginis Matris orantem figentemq; oscula Sacris suis pedibus, tam arctè amplexata, ut nullâ vi hominum avelli posset. Liber itaq; hoc declaratus portentô, renuntiat mundo. *Alexander à Salo, de arte amandi colendiq; piè B. V. M. Leonardus Mayr in Calend: Mariano.*

PROLOGUS.

Genius Florimundi decumanis obrutus fluctibûs, Stellam maris invocat MARIAM.

JNTERLUDIUM.

ACTUS Imus.

Scena Ima.

Alaricus Celtogalatiæ Princeps, initurus bellum cum Africanis

fricanis, Boniorbum Generalissimum promulgat, in comitatum adjungens & Florimundum Sacri Labari (a) Portitorem; virtute ac pietate promotum, & in signum benevolentiæ annulô honoratum.

Scena 2da.

Florimundus antiquæ pietatis memor, secedit in sacellum Deiparæ, Ejus Patrocinio commendaturus successus belli. Ubi has: *Salus in pedibus*, ad partem videt notas; in cujus perplexitate sensûs hærens, ad Vulpiani invitatur epulas.

Scena 3tia.

Venientem Vulpianus Florimundum, simulatâ amicitiâ, blandîs inducit verbîs, ut à cæpto desistat itinere, asserens Regem in perniciem ei hanc contulisse dignitatem. Renuens nonnihil Florimundus, in accepto illud relegit Libro (b) *Ante pedes cæcis lucebit semita nobis*, Vulpiano hanc perplexitatem fraudulenter explicanti, & illud quoq; in æde Virginis: *Salus in pedibus*, lectum refert, ac doloso Vulpiani acquiescit consilio. Affectûs ergo, Gemmâ à Rege acceptâ Vulpianum donat, mittitq; ad Boniorbum, ut alium in sui substituat locum. Jnterea liberalius epulis indulget, & choreis.

Scena 4ta.

Postquàm advertit ingurgitatum merô Florimundum Vulpianus, succedere sibi technas gestiens Regiam petit, eundemq; jussa Regis temnentem incusat, è dovoto Principe potatorem, & choragorum antesignanum nuntiat.

Scena 5ta.

Jratus Monarcha, rebellem incarcerari jubet Florimundum, ac, ut se Principi Hermeti à decem jam annis (c) in cæco ergastulo delitescenti, jungat, Vulpiano mandat.

Scena 6ta.

Jnclusus carceris antro Florimundus, ubi edormivit crapulam, salutat Principem Hermetem, præ squallore carceris jam animam agentem, qui emortua voce redonans salve Florimundo, Testamentô Nomen suum legat, ut abhinc

hinc

hinc se Hermetem apellet rogans, commutatîsq; ad id vestibûs, fatis cedit.

JNTERLUDIUM.

(a) *Vexillum: Flammula dictum à B. V. submissum, contra Ethnicos solos explicari solitum. P. Kwiatkiewicz.* (b) *Libro 2. Elegiarum.* (c) *Bejerling Titulô Captivitas.*

CHORUS *Imus.*

Fraudi dolus succedit sed dolendo sibimet eventu.

JNTERLUDIUM.

ACTUS *2dus.*

Scena Ima.

Laodicenses Legati (d) adacti precibûs Med olanensium, ubi marî non poterant, pedibûs prærupta montium transmeando, venerant eliberandi Hermetis causâ, ad quorum postulata Alaricus, Vulpiano, ut liberum Legatis restituat Hermetem, committit.

Scena 2da.

Exequens jussa Regis Vulpianus, ergastulum adit, Hermetem evocat, respondet Florimundus ex pacto cum Hermete: adsum; quem liberum Legatîs non sine gratulatione reddit.

Scena 3tia.

Gestiens animô Florimundus tandem illa verificari oracula: *Salus in pedibus*, pedibus inquàm venientium Legatorum, nec non: *Ante pedes cæcis &c:* non videntibus se esse Florimundum, statuit ex Vulpiano sumere ultionem. Quare subductus à legatis, ad faciliùs sumendam vindictam jungit se consortio prædonum.

Scena 4ta.

A Boniorbi Præcursore ex expeditione redeunte, agnitus Antesignanum sicariorum agere Florimundus, cum eidem Mortem inferre statuit, ab appropiantis militis tympanorum terretur sonitu, & salutem propriam in pedibus quærit.

Scena 5ta.

Petens Boniorbus Aulam, incidit in ſaucium miſſum à ſe Præcurſorem, à quo edoctus Florimundum eſſe vulnerum cauſam, Regi, unà cum Triumphis Florimundi, explicat ſcelus.

Scena 6ta.

Alaricus jubet acciri Vulpianum, cui exprobrans eliberationem Florimundi contra ſua mandata, ubi advertit in manu ad pedes deprecantis annulum, olim datum Florimundo, intellexitq; ab ejuſdem Ephæbo, dolô Vulpiani Florimundum rebellem ſibi, Vulpianum ad carceres condemnat: Boniorbo verò, ut pro capiendo Florimundo ſelectam mittat cohortem, demandat.

J N T E R L U D I U M.

C H O R U S 2dus

Dum alii licentioſæ vitæ indulgentes, Divinâ puniuntur Juſtitiâ, ſolus MARIANUS Cliens, fatorum victor triumphat.

J N T E R L U D I U M.

A C T U S 3tius.

Scena 1ma.

Captus à milite Florimundus, ſiſtitur ante Thronum, quem Rex adjudicans carceri, pro ferendâ Sententiâ Rhadamantos adeſse jubet.

Scena 2da.

Sedentes pro Tribunali Judices, Florimundum pluribus ſceleribûs convictum, morte condemnant.

Scena 3tia.

Jntruſus antro Florimundus, ubi in mentem revocat Matris monita, adeſt perſonatus erebi Genius, ſuamq; ei pollicetur operam in eliberatione, ſi ſibi obtemperare velit.

Scena 4ta.

Latam ab Aſseſſoribus Tribunalis, unà cum milite Colonellus, mortis ſententiam incarcerato promulgat; hâc audita

ditâ unum flagitat, ut in proximo Sacello ad pedes MARIÆ, ſuæ animæ dedicet ſalutem.

Scena 5ta.

Aſſentiente ſuis votis Colonello, intrat ædem Virgini Sacram; ubi proſtratus ad pedes, poſt litatam ardentioribûs precibûs morulam, dum Jisdem ultimatò figit oſcula, in arcto amplexu auxiliatricem experitur manum. Quô Thaumate deſperatæ redditus ſaluti, illa in ſe adimpleri ſubintelligens: *Salus in pedibus, & Ante pedes cæcis &c*: mundo dicit vale.

(d) *Jdem Bejerling Titulo eodem.*

JNTERLUDIUM.

EPILOGUS.

Ad conſtantem MARIÆ cultum adhortans.

Ad M. D. G. B. V. M. S. L. O. C. Honorem.